POMPEII VGONII
A BIBLIOTHECA
ASCANII COLVMNAE
CARD. AMPLISSIMI
ORATIO
IN FVNERE VRBANI VII.
PONT. OPT. MAX.

AD SACRUM SENATUM

Habita in Basilica Uaticana Prid. Non. Octobris.

ANNO. M. D. XC.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Ex Typographia Vincentij Accolti.

M. D. X C I.

POMPEII VGONII
ORATIO
IN FVNERE VRBANI VII. P. O. M.
Ad Sacrum Collegium Cardinalium.

SI quando aliàs in funere Pontificis Optimi Maximi, aut Regis, aut Principis cuiusquam vel recentibus, vel antiquioribus sæculis Orbis terrarum ingemuit; si quando pia humano generi, & iusta & oblata causa lugendi; hoc profectò, Patres Amplissimi, tēpus illud est, cum ad cladem iacturamq; suam deplorandam, nulli gemitus, nulli eiulatus, nulla tristissimi argumenta squalloris satis esse debeant Populo Christiano. Quidquid enim vel excitare pietatem, vel dolorem exasperare, vel elicere lacrymas, vel terrorem incutere, vel solatium adimere potest, ea omnia in acerbum hunc, tam celerem tamq; intempestiuum VRBANI Septimi à vobis electi Pontificis occasum, quasi impressione facta concurrerunt; atq; ita concurrerunt, vt nec pietati pudor, nec dolori modus, nec lacrymis tēperamentum, nec terrori spes, nec solatio via aliqua relicta videatur. Ecquis adeo ferreus, aut saxeus, adeoque omni exutus humanitate, qui tam atroci tamq; infesto casu, tam tristi, & insperato optimi Principis discessu, non totis visceribus cōmoueatur? Cuius non immenso quodā, & insanabili dolore pectus ardeat, qui videat spem tantā Christiani nominis, in quantā à multis sęculis Christiana Respublica nō fuerat excitata, quasi turbine venti difflatā in nihilum euanuisse? Quę vberes deficiant lacrymę, voluentem animo, quàm comi, mansueto, misericordi, indulgēte, munifico, pio deniq; Principe, imò parente orbi simus? Cum verò in ea mentem cogitatione defigimus, quid sit ꝙ tam repente Pater misericordiarū Deus illum nobis vix ostensum eripere voluerit, tā repentè inquā, vt neq; Pontificali solio vltra primū ad hęc Vaticana tēpla descensum inuehi potuerit, neq; tergemino diademate coronari, neq; penetralibus Palatij pedem efferre, neq; in conspectū se expectantis, & desiderantis Populi dare, oculosq; eius amore perditæ ciuitatis implere; quì fieri potest, vt timor tremor non veniāt illicò super nos? vt non tenebrę contegāt corda nostra, Deumq; vltionū expauescamus, ne fortè iratus nobis ꝓpter scelera nostra, tm̄ boni auferre nobis voluerit, ne nō tantā virtutē, ac probitatē meriti (Heu miseri) simus? Quòd si aliqua in obitu cæterorū Principiū cōsolatio reperiri solet, illa certè est, quę ex rerū ab ipsis egregiè in Principatu gestarū cōmemoratione percipitur, quæ tamen & nobis infelicissimè adempta est. Cōmemoratio enim virtutum Principis tunc leuat dolorē, cum eis, si non perdiù, at modico saltē spatio temporis frui licuit. At eas percensere virtutes, quarum fructus sperare maximos, percipere nullū morte intercedente licuerit, id verò & desideriū augeat, & luctum incendat necesse est. Quæ igitur P. A. hodierno die partes mihi relictæ sunt? certè non tā laudationis quàm pietatis, non tam eloquentiæ quàm querelæ, nō tā ingenij quàm doloris. Nam quid ego ad eum

apud vos laudandũ longã oratione compare, cuius qm Solis luce clarior perspectiorq; vobis virtus semp extitit, ideo illũ Pontificatu maximo dignissimũ iudicauistis? Quid enim in hoc hoie fuit, quod ad supremi apicẽ Sacerdotij obtinendũ, non ei deberet iure optimo suffragari? Omitto genus & patriã, & quæ non fecimus ipsi. Sic enim diuinis literis edocti sumus, nos esse omnes vnũ in Christo, & fastigium Christianę nobilitatis esse inter filios Dei recenseri. Sed tamen vt nouitas & obscuritas sanguinis infringit animos, ita habet aliquid momenti ad res magnas aggrediendas posse meminisse maiorum, eorumq, exẽplis quasi stimulis quibusdã ad amplitudinẽ incitari. Quales profectò stimulos & aui atauiq; quorũ memoria viget apud Genuẽses celebris, ac peruetusta, & hęc Romana patria, eius paternisq; natalis conscia VRBANO addere potuerunt. Verùm non hæc tanti sunt æstimanda, vt propterea ædificare oporteat Sion in sanguinibus, & nauiculæ Piscatoris quærere ex vna potius, quàm ex altera gente Rectorẽ, cum vt ipse Petrus testatur, In omni gente, qui facit iustitiam acceptus sit Deo. Educatio certè teneræ ætatis, in qua tanquam in flore futuræ virtutis fruges apparere solent, qualis cuiq; cõtigerit, quis nõ diligentius animaduertendum putet? Eductum aũt VRBANVM institutumq; à puero liberalissimè sciebatis; cuius adolescentia duorum auunculorũ, insignium Cardinalium Iacobacij, & Veralli custodia septa, directum veræ laudis iter ingressa, nullum vel minimæ vestigium labis impressit; cuius in latinis, & politioribus literis fuit magistra Roma, iuris legumque scientiam in qua excelluit, Perusia informauit, Patauiũ auxit, Bononia perfecit & decorauit. Iam, posteaquàm è tot nobilium Academiarum spatijs magnus hic Vir in puluerem Solemq; processit, si acta eius, laboresq; pro Apostolica Sede, & Christiana religione suscepti considerentur, quis de eo dubitet dicere, quod de sancto Pontifice Cornelio, gloriosus Martyr Cyprianus affirmat? *Non iste ad Episcopatum subito peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dñm sæpe promeritus, ad Sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.* Quid enim vel laboris, vel muneris, vel dignitatis, vel potestatis, vel procurationis habet Ecclesia Dei, quod hic non obierit, non cõfecerit? Quæ ora Christiani orbis tã deserta, quã non peragrauerit? Quæ tã extera natio, ad quã non adierit? Quis Rex, quis Princeps, aut tã longè terrarũ dissitus, aut tanto pollens imperio, quo cum nõ negocia magna tractauerit? Nã illa partim antiqua nimis, partim minora prætereo, floruisse eũ inter Aduocatos Romanę Curię, qui fuit illi primus in fori lucẽ egressus pręcipua existimatione & gloria; allectũ in Ordinẽ Patrũ, quibus causas ad Principẽ referendi potestas permissa est, collegarũ nemini iuris intelligẽtia, sedulitate, fide, eloquentia cõcessisse; prosecutũ trans Alpes Hieronymũ Verallũ Cardinalem Legatũ in Galliã, cum obsignandis libellis præpositus esset, exercuisse id munus peritè, diligẽter, officiosè, incorruptè, & sine minima auaritiæ suspicione. Fani Fortunæ gubernationi admotũ, ius summa æquitate, & iustitia dixisse; Archiepatu Rossanensi ornatũ, cõmissum sibi gregẽ pauisse doctrina, & exẽplo; Perusię administratione suscepta, & turbulentissimo post Pauli Quarti excessum in terregno deprehensum, ciuitatẽ illã maxima in pace & trãquillitate cõtinui sse; missum ad veterẽ quandã inter Spoletinos, finitimosq; con-

troucr-

trouerſiam diiudicandam,tantum prudentia valuiſſe, vt & eos contra quos ſtatuerat æquos, placatosq; dimitteret,& à Spoletinis municipibus honoris ergò ciuitate donaretur. Hæc & complura,quæ ſingula multis maximo ornamento eſſe poſſent,in VRBANO facilè præteruolare patiamur,atq; ad ea,quæ ampliora,& quaſi maioribus theatris propoſita ſunt,veniamus. Verſantur enim ante oculos Tridentini ſaltus,atq; colles, ex vltimus vndiq; terrarum finibus Chriſtianorum Antiſtitum frequentia conuentuq; celebrati,in quibus huius præſtantiſſimi tunc rpis Archiepiſcopi adeo admirabilis religio,& ſapientia refulſit,vt ceu luminare quoddã maius inter minora ſidera explendeſcere,& radiare videretur. Neque enim,vt magna pars,velut priuatus Eps in magno illo Cõcilio ſedit,ſed ſingularibus à Pio Quarto ſapientiſſimo Põtifice datis literis moniti ſunt Patres, nihil non eo cõſulto,& approbante ac ſuadẽte, decernere. Quod etſi ei cũ nonnullis alijs doctiſſimis Viris,& præcellentibus Eccleſiarũ Paſtoribus fuit cõe;illud tamẽ inſigne & proprium,ꝙ Congreſſui ſecundũ eum,quẽ Legati Cardinales habebant oĩum maximo,atq; grauiſſimo præfuit , apudq; ipſum difficillimæ,& obſcuriſſimæ de cauſa fidei,& morum diſciplina controuerſiæ diſcutiebant. Adſunt in hoc ampliſſimo Senatu,qui hæc non audierunt modò,ſed etiam viderunt, quiq; etiã teſtari poſſunt ex huius Viri doctrina,cõſilio,pietate, vigilantia quantum vtilitatis ſancta illa Synodus reportarit. Præter hæc aũt,quàm graues illæ res ſunt, quàm illuſtres,quàm vtiles,& cũ publica ſalute cõiunctæ,quas octo fermè annorũ ſpatio apud Regem Catholicũ in Hiſpania Apoſtolicæ Sedis Internuncius reſidẽs,ſuſcepit,tractauit,cõfecit? Quid enim grauius agi potuit,q̃ quod in cauſa Toletana actũ eſt, quã multis magniſq; difficultatibus irretitã ita ſolerter explicauit,vt & Regi ius ſuũ Põtifice annuẽte redderetur,& Põtificis auctoritas,ꝙ Rex maximè cupiebat,ſarta & ĩuiolata ſeruaretur? Quid ei potuit accidere illuſtrius,quàm vt Regis oĩum ſæculorũ omniſq. memoriæ Principis Principẽ filiam,in ſpẽ magni alicuius Imperij genitã, ſolẽni apparatu ſacro fonti admotã, tota Hiſpania fauſtis votibus votisq; acclamante, ipſe ſua manu perfunderet atq; luſtraret? Qua quidem ex actione cũ affinitas inter ipſum & Regẽ,nõ carnis,ſed ſpiritus Chriſtiano ritu redundaret,tãtus Regis amor extitit,vel tantum virtuti hoĩs deferebat,vt teſtaret ſe illũ, non vt publicum Internunciũ, ſed vt priuatã perſonã Compatrem agnoſcere atq; complecti. Iã verò,in quo communis Chriſtianæ Reip. ſalus agebat, non ne ſacrum illud fœdus trium Europæ Principũ aduerſus Orientis Tyrannũ inexplebili rabie ac furore ceruicibus noſtris imminentem,huius in Hiſpania diligentia pertractauit,prudentia vinxit, fides atq; auctoritas conſtabiliuit? Magnũ videtis P.A. cãpum ad excurrendum, ſed reprimã habenas,& parebo tempori. Vos euentum illius fœderis, claſſem Chriſtianã oĩum quotquot maiores noſtri inſtruxerint ornatiſſimã, Duces militeſq; oĩum fortiſſimos,prœliũ nauale oĩum maximum, victoriam oĩum feliciſſimam,triumphos cũ antiquitate cõferendos, contuſas ab illo tẽpore vires repreſſamq; immaniſſimi hoſtis audaciã, gloriã,quietẽ,ſecuritatẽ Chriſtiano generi partam in multos annos, mente & cogitatione


p. rcur-

percurrite; facilè iudicabitis,hæc cum oĩa auspicatissimo illo fœdere consecuti sumus,ei qui fœdus ipsum tractauerit, atq; confecerit, accepta meritò referri debere. Atq; hæc toto Pij Quinti piissimi Pastoris Põtificatu labente acta sunt, quo tandem in cælum recepto, Gregorius Vir optimus atq; sanctissimus est subrogatus. Huius Pontificis voce post aliquod tempus, magnis rebus gestis ex Hispania, non sine incredibili sui desiderio Regi relicto Internuncius reuocatur. Cæterũ quid est ꝙ cum quies ei iã tandem aliqua, & relaxatio à laboribus deberi videretur, non ita multo post ad Clarissimã Venetorum Rẽpublicam iterũ Nuncius, & redintegrandi si qua rõne fieri posset sacri fœderis cõciliator, & sequester mittitur? Certè quia cũ res illa ex omni parte difficilis appareret, si qua esset conficiendi & obtinendi ratio, dubitari non poterat, quin esset in eius sapientia, ac virtute posita, qui eandẽ concordiã felicissimis auspicijs in Hispania transegisset. Quid est, ꝙ cum propter grassantẽ pestilentiã Venetijs discedere, & vt Euangelicis verbis vtar, cogeret ex vna Ciuitate fugere in aliã, Bononiã vt diuerteret à Pontifice amãtissimè monitus est, ac paulò post iussus eiusdem suscipere gubernacula ciuitatis? Nẽpe vt duę res Gregorio carissimę mutuo se beneficio cõseruarent, Patria nimirum sua atq; hic vir optimus, hic à cœli contagione hospitio Bononiæ, Bononia à contagione scelerum virtute gubernantis. Quid est ꝙ Magistratu illo absoluto, magnis itineribus in Germaniã ad Cęsarem, & Principes imperij contendere iubetur, vt inter prouincias Belgicas, Regemq; Catholicum pacis iciat conditiones? Quia videlicet homo pacis, immò Angelus pacis semper cognitus fuerat, & ea animi magnitudine prædìtus, quę posset vbiq; terrarum strenuè Pontificiam tueri auctoritatem? Quid est denique, ꝙ gelida ex illa plaga biennio post mitiori huic cælo redditus, inter Consiliarios sacræ Inquisitionis abscribitũ, nisi quia is erat qui sanctissimo illi Tribunali, iudicio, religione, scientia, integritate, experientia plurimũ prodesse posset? O Virũ magnis Ecclesiæ negocijs exercitum. O ministrum pro Repub. indefessum. O Dei seruum probatum per oĩa. Erat, erat iam tempus, vt tantis pro Apostolica Sede exantlatis laboribus, tot emensis itineribus, tot aditis periculis, tot vigilijs toleratis, tot rebꝰ præclarè & salutariter gestis, tã probatæ deniq; & spectatæ virtuti gratia referretur. Et quanquã nec Piis duobus, nec Paulo ante eos Quarto voluntas defuerat talem Virũ in hoc summum orbis terræ Consiliũ cooptandi, quorum cogitata mors euertit, videtur tamen ea gloria diuinitus fuisse reseruata Gregorio; Gregorio, cuius in tanto honore tribuendo cunctationem, iudicium, delectum pauci adæquarunt, nullus certè Pontifex superauit. Quanto igitur cõsensu Senatus, quanto huius vrbis gaudio, quãta approbatione Orbis terrarũ Cardinalis renunciatus est? Cuius dignitatis ornamento, adiunxit idem Gregorius paulò post honestissimam Legationem Bononiensem, vt hic quoq; titulus honoris cæteras tanti viri laudes cumularet. De Sixto verò altissimæ mentis Principe, quid dicã? quanti hunc æstimauit? quàm dilexit? quãtũ eius sentẽtijs, & consilijs, & virtuti detulit? Quẽ cum quò altius prouehere posset, locũ sibi relictum non videret, crediderim si moriens ad ea quę secuta sunt comitia

suffra-

suffragium suũ transmittere potuisset,illi fuisse lubentissimè suffragaturũ, quẽ vos elegistis.Hic iam P. A. hæret,horretq; animus,labat ingeniũ, suis defecta viribus languescit oratio.Deducti enim ad eas res sumus,quę sine lacrymis,& sine intimo quodam sensu doloris tractari nõ possunt.O spes inanes,& cogitationes fallaces nostras. Dederatis nobis Pontificẽ,quo meliorẽ nõ modò sperare,sed ne optare quidẽ poteramus. At hic duodecimũ intra diẽ(proh dolor)celeri morte absumptus,nos velut oues sine pastore palantes reliquit.Quas ille tã breui tempore ingentis gloriæ fulgurationes emisit? Quas significationes dedit optimę de Pontificatu administrando volũtatis?Quantã in spem hanc Vrbem,cunctã Italiam,nationes oẽs erexerat?An ille assumpsit sibi honorem,& non accessit vocatus à Deo tanquam Aaron? An tam sublimi fastigio elatus hoĩem esse se oblitus est? Quantũ in summa potestate rerum oĩum retinuit modum? Qua modestia familiã instituerat?Quàm parum carni & sanguini tribuebat?Quàm nihil penitus pristinos mutauerat mores?Manebat Principi,quæ priuato humanitas. Iã aditum ad se oĩbus,etiam infima de plebe hominibus aperuerat,iã ad subueniendum egentibus manũ porrexerat,iã virtuti,doctrinæ,honestisq; laboribus præmia ostentabat,iam seueritatem nimiã, asperitatemq; Imperij cedere pietati & clementiæ iusserat, iam amari quàm metui Regium sibi magis videri declarauerat: Declarauerat? imò iam ab omnibus incredibiliter amabatur. Quid?Illa maiora & publica magis,quanta celeritate, quanto ardore animi cõplexus erat? Euocare annonã longè gentium non è vetere solùm illo Populi Romani horreo,Sicilia inquam,sed ex feracissimis vltimæ Hesperiæ cãpis,onera populorum nõ imminutis tantum, sed, remissis sublatisq; penitus vectigalibus alleuare, Ecclesiasticorum munerum rerumq; sacrarum dispensationem,in veterem Põtificiæ liberalitatis splendorem vindicare,huic augustissimo tẽplo centũ propè iam annos expectanti,fastigium,& summã manum imponere, dissidẽtium Christianorum Regnorum arma pacare,subiectis parcere,superbos debellare, Religionem amplificare,tueri Iustitiam, Misericordiã exaltare. O cõsilia præclara,ò dignas Christi Vicario cogitationes. Sed heu, & hæc & alia mors intercepit oĩa, funditusq; prostrauit.Ille ad superos abijt;nos hìc in luctu & tenebris relicti sumus. Retinere quidẽ te apud nos,quantũ in nobis fuit ò Pater,Pater,currus Israel & auriga eius, retinere te inquam nobiscũ totis virib. conati sumus,idq; tantoperè cõcupiuimus,vt quoad te lãguentẽ decũbere contigit,nemo vnquã de se tam sollicitus fuerit,q̃ nos pro te vniuersi. Sed nihil, quasi in extremo discrimine ciuitatis susceptis votis,nihil apertis diu noctuq; tẽplis,nihil diurnis nocturnisq; ad sacras aras excubijs, nihil effusis sine intermissione precibus, nihil vrbe tota supplicationibus lustrata,nihil largitionib⁹ in pauperes profusis,nihil lacrymis,& gemitib⁹ ꝓfecimus. Nõ litauimus,nõ auditi sumus,negat⁹ es,raptus es,Cõsũmatus in breui implesti tẽpora multa. Verè hic P. A. ex illis fuit quib⁹ dignus nõ erat mundus. Ita enim est mortuus,vt mors eius cũ antiquis Sanctorũ mortibus conferri posse videatur. Quanta in morbo cõstantia,patientia,moderatio?Quantũ Christiani animi robur,vt diem migrationis suæ adesse prospiciens,

ſpiciens,diem illũ ſalutis appellaret,curiſq; alijs amandatis,in eo ſibi diceret cogitationes oẽs eſſe figendas? Quàm euidens fixæ in Deo voluntatis ſignum, cum diceret,gratias ſe ei habere, quòd tam opportuno tempore (quis ita locutus eſſet?)tam inquam opportuno tempore ab ipſo vocaretur,quo de onere Pontificatus non eſſet redditurus rationem? Quàm rara beneficentia,vt bona ſua, etiam paterna, ad æſtimationem aureorum triginta millium,veteri inſiſtens teſtamento, Sodalitati RomanæB.Virginis Annunciatæ legaret, in dotes calamitoſarũ Virginum conferenda? Quem verò diem aduerſæ ſuæ valetudinis intermiſit, quo non ſe meditata cõfeſſione expiaret,& ſacroſancta Euchariſtia reficeret? Suprema denique illa nox quam egit in terris,quot quantiſq; pietatis luminibus reluxit? Poſtquam enim ſacro delibutus oleo,iterumq; & extremùm cælesti viatico recreatus,& Apoſtolico pronunciato Symbolo fidem ſuam teſtatus, veniamque ſupplex à Deo ſæpius,& ab hominibus etiam, quorum neminem vmquam læſerat,precatus eſt, cùm hebeſcere magis magisque iam ſenſus,& obſtupefieri membra inciperent, voce Ieſum, voce Mariam implorabat; hac debilitata,ſupplices tendebat manus,quibus etiam ſibi crebrò Crucis ſignum imprimebat;his labantibus,oculos in imaginem Cruci affixi Saluatoris,quamuis imagine mortis ſuffuſos & inerrantes defigebat. Stetit noctem ipſam totam in mortis limine, cum tamen,O rem planè miraculi ſimilem, ita luceſcente iam die anima eius diuino eſt numine corroborata, vt & ſanctum Sacrificium coram ſe fieri ad aram pro cubili poſitam poſtularet,& attentè quæ à Sacerdote gererentur aſpiceret, quæ dicerentur audiret,vtquè etiam cum diuina ſuſtolleretur Hoſtia caput inclinaret,O pietas,moribundaq; manu detegere anniteretur. Quo tandem Sacrificio peracto,cũ feſſos oculos ad quietem componere velle videretur,verè quieuit; nam velut placido quodam ſomno comprehenſus,obdormiuit in Domino. Ita magnus ille animus VRBANI Septimi tot circumfuſus virtutibus,tantis pro Eccleſia Dei laboribus fatigatus, quo tempore ad ſubleuandã rem Chriſtianam diuinitus conceſſus eſſe videbatur,arcano Dei iudicio nobis ereptus,ſacram ipſam ante Dei aram, anteque illum ipſum clementiſſimũ Ieſum imagine panis velatum, quem paulò poſt reuelata facie erat cõtemplaturus,ex huius tenebris mortalitatis emerſit; cumque importunæ mortis iniuria non potuerit coronari in terris, immarceſcibilem gloriæ coronam à Domino accepit in cęlo. Quid eſt igitur quòd iam amplius cum lugeamus? Niſi forte præſentem,qua nunc fruitur beatitudinem ei videri volumus inuidere. Quod quoniam nullo modo faciendum eſt, erigamus iam tandem animum à mœrore & ſordibus, noſtramque ad diuinam voluntatem aggregantes dicamus,Dominus dedit,Dominus abſtulit,ſicut Domino placuit ita factum eſt;ſit nomen Domini benedictum:voſq; P. Ampliſsimi ad talem in Petri ſede Pontificem collocandũ accingimini,qui huius quem amiſimus Parentis optimi deſiderium lenire, orbitatemque Eccleſiæ conſolari poſsit.



Laus Deo Optimo Maximo, & Virgini Beatiſsimæ.